

contulit et dedit ob honorem dei beatissimeque Marie semper virginis ordini Cisterciensi cum usu fructu plene libere in perpetuum possidendam et ad manus fratris Boguphali monachi consignavit pro voluntate generalis capituli eiusdem ordinis disponendam: et quod idem capitulum post mortem fratris Boguphali monachi de Lecna prefati eandem ecclesiam cum pertinentiis suis omnibus predictis religioso domino patri Christiano episcopo Prussiae monacho Cisterciensis ordinis ad tempus vite sue contulit tenendam et possidendam pro subventione terre sue. Idem autem pater dominus Christianus episcopus, postmodum coram me in Posnania consistens et in presentia venerabilis patris domini Fulconis archiepiscopi Gnesnensis cum instrumento mandati memorati capituli generalis prefatam ecclesiam de Dobrowo cum omnibus attinentiis suis prelibatis abbatii Wilhelmo de Suleiow et eius conventui post suam vitam consignavit et tradidit pleno iure tenendam ac pro voluntate generalis capituli possidendam. Istius facti testimonium et robur eternum presentem paginam conscribi iussi meoque sigillo et sigillis dominorum predictorum Fulconis archiepiscopi Gnesnensis et Christiani episcopi Prussiae communiri. Acta sunt hec anno domini MCCXXXII indictione quinta in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, presentibus probis viris et dominis Baldevino Gnesnensi et Alberto Lanciciensi decanis, magistro Andrea de Cracovia et Stephano cancellario meo, item Jarossio Posnaniensi, Petrone (?) Sandocensi et Vincentio de Zbanszin castellanis, Nemera pincerna meo, Vislao vexillifero, Laurentio venatore et aliis multis. Ego etiam intuitu remunerationis divine omnes libertates a predecessoribus meis solennis memorie ducibus Polonie Miescone avo meo Vladislao patruo meo ac Odone patre meo sepedicte ecclesie de Dobrow possessionibus eius et incolis earum cuiuscunque conditionis collatas renovo et confirmo, videlicet quod ius plenum punctionis et castorum habent in fluminibus Warta et Nyr intra terminos possessionis sue, nec aliquod vectigal ducunt, nec aliquam solutionem mihi vel meis solvunt castellanis et officialibus, nec coram ipsis citantur sed ad meam presentiam tantum per literam meo anulo signatam, nec caput mihi aut meis solvunt nec septuaginta, neque